



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Cap. II. De Ministro Sacramentorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

et adhibere materiam dubiam in Eucharistiâ,
Ordine, &c.

*Q. 7. An licet supra eandem materiam repetere
formam?*

Resp. Non licet, nisi sit dubium rationabi-
le de validitate formæ jam prolatae; vel de ejus
prolatione: quia tunc frustra adhiberetur al-
tera formæ prolatio cum irreverentia Sacra-
menti. Quod si tale dubium adsit, debet for-
ma iterari sub conditione, ne Sacramentum
maneat irritum, cum illius irreverentia ac dam-
no proximi. Dubium autem imprudens, quale
solet esse in scrupulosis non sufficit, sed con-
temnendum est.

CAPUT II.

De Ministro Sacramentorum.

HOc nomine intelligitur idoneus effector
Sacramenti. Constat solos homines
ratione utentes esse Ministros Sacramentorum
ordinarios: nam eos solos Christus ad hoc
munus designavit. Non omnes tamen ho-
mines possunt esse omnium Ministri; nam
Laici non possunt validè efficere nisi Baptis-
mum & Matrimonium; ut constat ex perpe-
tua traditione & praxi Ecclesiæ.

*Q. I. An requiritur intentio faciendi Sacra-
mentum?*

Not. Consentiunt omnes Catholici. 1. Non
requiri

N 3

requiri intentionem explicitam conferendi gratiam: quia Sacramentum agit ut causa necessaria, quæ indiget solâ applicatione, non autem ut applicans cogitet de effectu. Et alioqui nullus esset Baptismus collatus ab Hæretico negante gratiam per illum conferri.

2. Non sufficere intentionem ponendi Riturum externum Sacramenti quomodocunque, etiam jocosè & irrisoriè: nam hic error Lutheri à Leone X. & à Conc. Trid. damnatus est.

3. Certum esse teneri Ministrum sub mortali habere internam volitionem verè faciendi Sacramentum, seu id quod facit Ecclesia, vel id quod instituit Christus, saltem confusam & implicitam: quia illicitum est in Sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relictâ tutiore probabili. At sententia asserens talem intentionem requiri ad valorem est tutior, imò sola tuta, & saltem probabilior aut tam probabilis quàm negans, quæ non est tuta; nam cum possit esse falsa, eam sequens committit se periculo faciendi Sacramentum nullum.

4. Ad valorem Sacramenti non requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia Romana, licet sola sit vera Ecclesia Christi; sed sufficere intentionem faciendi quod facit vera Ecclesia, quæcunque illa sit, imò faciendi quod facit Ecclesia aliqua particularis, v. g. Lutheranæ, modo putetur vera, quamvis reipsâ sit falsa:

falsa: quia tunc est intentio implicita ac virtualis faciendi quod facit vera Ecclesia; neque error speculativus circa veram Ecclesiam, ut nec circa efficaciam & effectum aut institutionem Sacramenti, impedit hujus valorem ex parte Ministri: nam Hæreticus verè Baptizat, & tamen non credit Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam.

Resp. Ad valorem Sacramenti requiritur intentio verè & seriò faciendi Sacramentum, saltem implicita & generalis, quâ Minister intendat facere id quod Ecclesia moraliter facit per ritum externum, vel quod Christus instituit; nec sufficit intentio ponendi exterius duntaxat ritum externum, ut aliqui dicunt.

Prob. I. Ex Conc. Florentino in decreto Eugenii, ubi dicitur: *Hæc omnia Sacramenta, (novæ Legis) tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & persona Ministræ conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Ergo ex Florent. ad efficiendum Sacramentum requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia, materiam scilicet & formam adhibendo per suos Ministros. At id, quod Ecclesia facit, materiam & formam adhibendo per suos Ministros, est Sacramentum. Ergo ex Florentino ad efficiendum Sacramentum requiritur intentio illius faciendi. Quòd etiam patet

ter ex §. Sequenti, ubi dicit, quemlibet etiam Paganum & Hæreticum validè Baptizare, dummodò formam servet Ecclesie, & facere intendat quod facit Ecclesia, immediatè scilicet. Quibus verbis præter voluntatem ponendi ritum externum, requirit etiam intentionem faciendi quod facit Ecclesia, & hæc duo inter se distinguit. Ergo intendere facere quod facit Ecclesia, non est præcisè velle ponere ritum externum; sed est velle illum ponere ut Religiosum & Sacramentalem, seu ut signum institutum ad significandam & efficiendam gratiam.

Prob. 2. Ex Conc. Trident. sess. 7. can. 11. Siquis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; Anathema sit. At Ecclesia per suos Ministros facit Sacramentum, & non tantum ponit ritum externum. Ergo requiritur intentio faciendi Sacramentum.

Item Conc. per intentionem faciendi quod facit Ecclesia, intelligit quod facit Ecclesia immediatè nomine & auctoritate Christi: ideoque intelligit quod facit Ecclesia per potestatem ministerialem acceptam à Christo. At Ecclesia per potestatem ministerialem acceptam à Christo facit significationem & efficaciam Sacramentalem, sicut per potentiam naturalem facit ritum externum. Ergo cum Trident. definit requiri intentionem faciendi quod

quod facit Ecclesia, intelligit requiri intentionem faciendi significationem & efficaciam, Sacramentalem, seu ritum externum ut Sacramentum, intentionem, inquam, saltem generalem & confusam.

Præterea Trident. sess. 14. cap. 6. declarat pœnitentem non esse verè & coram Deo absolutum, *si Sacerdoti animus seriò agendi, & verè absolvendi desit.* Ergo ad validam absolutionem, præter intentionem seriò ponendi ritum externum, seu proferendi verba absolutionis, requirit intentionem verè absolvendi; nam hæc duo manifestè distinguit. Intentio autem verè absolvendi est intentio verè conferendi Sacramentum Pœnitentiæ. At eadem est ratio de omnibus aliis Sacramentis. Ergo in omnibus Sacramentis requiritur intentio faciendi Sacramentum. Quare Suarez Tom. III. in 3. p. S. Thomæ q. 64. Disp. 13. Sect. 2. sic ait: *Existimo contrariam sententiam non posse jam (post definitionem Tridentini) tutò defendi, nec sine errore.*

Prob. 3. Auctoritate summi Pontificis Alexandri VIII. qui damnavit hanc propositionem: *Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque Baptizandi observat intus verò in corde suo, apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia.* Ergo sine nullitate Sacramenti non potest excludi intentio interna faciendi quod facit Ecclesia, quamvis ponatur omnis ritus externus. At si ad va-

lorem Sacramenti, præter positionem omnis ritûs externi, non requiritur intentio interna faciendi quod facit Ecclesia, hæc intentio potest positivè excludi sine nullitate Sacramenti: nam exclusio ejus, quod non requiritur ad valorem Sacramenti, non potest illud irritare; cum valeat Sacramentum sine positione & cum exclusione eorum, quæ ad ejus valorem non requiruntur. Ergo ad valorem Sacramenti Baptismi, ideóque aliorum omnium, præter positionem omnis ritûs externi, requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia. Atqui per intentionem faciendi quod facit Ecclesia, intelligitur intentio interna faciendi Sacramentum: nam non intelligitur intentio ponendi ritum externum, cum in propositione damnata jam supponatur hæc intentio; siquidem agitur de Ministro, *qui omnem ritum externum, formamque Baptismi observat*, liberè scilicet & voluntariè, proindeque habet voluntatem observandi omnem ritum externum.

Prob. 4. Ratione: quia Christus Sacramentorum Ministros instituit, non ut meros nuncios deferentes voluntatem Domini, sed ut veros Ministros, qui liberè utantur potestate ministeriali sibi datâ. At minister non utitur liberè potestate ministeriali, nisi velit eâ uti; & non vult eâ uti, nisi cum vult per illam producere effectum sibi proprium, nempe Sacramentum, quod est sanè effectus proprius potestatis ministerialis circa Sacramenta: sicut
nemo

nemo vult uti potestate naturali, nisi cum vult per illam producere effectum ipsi proprium. Ergo

Prætereâ confectio Sacramenti est actio moralis Sacramentalis: nam Christus sic instituit Sacramenta ut procedant ex potestate data Ministris tanquam actiones eorum morales, ita ut dicantur verè remittere peccata, absolvere, consecrare, &c. ut Joan. c. 20. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* & Luc. c. 22. *Hoc facite in meam commemorationem, &c.* At actio moralis Sacramentalis debet esse intenta ut talis: Ergo

Q. 2. Qualis debet esse intentio Ministri?

Nota. Intentio est factus voluntatis deliberatus, quo quis aliquid intendit seu vult assequi; Sive est volitio alicujus finis. Hic per intentionem intelligitur volitio faciendi Sacramentum, ex quocumque motivo procedat. Dividitur 1. In explicitam, seu expressam, quâ aliquid in se distinctè cognitum volumus; & in implicitam, seu confusam, quâ aliquid solum confusè cognitum volumus, volendo scilicet aliquid sub quo vel in quo continetur. 2. In actualem, virtuales, habituales, & interpretativam. Intentio Actualis est ea, quâ quis dum conficit Sacramentum, actu cogitat de Sacramento faciundo & simul vult illud conficere. Intentio Virtualis est voluntas formalis faciendi Sacramentum præterita, vi cuius

ius fit Sacramentum mediante unâ vel multiplici actione ad illud ordinatâ, & manante à tale intentione, licet tunc mens de Sacramento non cogitet. Dicitur virtualis quia ex virtute, illius licet præteritæ, fit Sacramentum. Talis est intentio in Sacerdote qui ex voluntate actuali consecrandi induit se vestibus Sacris, Missam inchoat; sed Paulo post distrahitur, prosequitur tamen Missam, & consecrat cum distractione.

Intentio merè Habitualis est intentio merè præterita, non retractata, quæ jam neque in se, neque in sua virtute, vel aliquo effectu à se relicto existit. Vel juxta aliquos est, habitus ex pluribus confectionibus Sacramentorum acquisitus, tribuens voluntati facilitatem & propensionem ad similes actus in posterum exercendos: sive est inclinatio ac facilitas orta ex tali habitu. Interpretativa est illa, quæ nec est nec fuit, sed esset, si ejus objectum proponeretur voluntati: unde est tantum dispositio voluntatis ad intentionem eliciendam, si ei proponeretur.

Resp. I. Ad valorem Sacramenti non requiritur expressa & distincta intentio faciendi Sacramentum, sed sufficit confusa & implicita, quâ quis intendat facere id quod facit Ecclesia Christi, aut quod Christus instituit, aut quod vidit per Parochum fieri, aut quod Christiani faciunt. Constat ex praxi Ecclesiæ, quæ non rebaptizat eos, qui baptizati fuere ab imperitis
& ru-

& rudibus, aut paganis cum debita materia ac forma, licet illi non noverint distinctè quid sit Baptismus, aut Sacramentum. Præterea tunc est intentio faciendi quod facit Ecclesia, quam solam requirunt Florent. & Trident.

Resp. II. Ad valorem Sacramenti non sufficit intentio merè habitualis, quia I. Talis intentio non influit in actionem Sacramentalem, nec hæc vi illius ponitur: ac proinde talis intentio se habet ad effectiorem Sacramenti perinde ac si non esset. At requiritur intentio libera in se, quæ sit principium actionis Sacramentalis & qua potestas ministerialis ad usum applicetur; nam secundum institutionem Christi ad Sacramenti effectiorem requiritur ut actio Sacramentalis sit actio humana, & humano modo exerceatur potestas ministerialis. Et verò alioqui Sacramentum confici posset ab amente, dormiente, vel ebrio,

Resp. III. Neque etiam sufficit interpretativa. Quia hæc non est propriè intentio, sed solum intentionis præsumptio: sive non est intentio, quæ sit, sed quæ esset, si res proponeretur. At intentio quæ non est, nihil efficit, nec potest esse principium actionis moralis ac humanæ, quale est Sacramentum.

Resp. IV. Quamvis Minister curare debeat, ut semper habeat intentionem actualem, ob reverentiam debitam Sacramento; tamen illa non est necessaria ad valorem Sacramenti, sed ad eum sufficit intentio virtualis. Prob. I. ex sensu & praxi Ecclesiæ, quæ ut vera approbat
Sacra-

Sacramenta sic collata. 2. Si intentio actualis requireretur, Sacramenta sæpissimè forent irrita propter instabilitatem imaginationis, & frequentes animi evagationes, & quidem plerumque naturaliter inevitabiles. At non est credibile Christum sic instituisse Sacramenta, ut sæpissimè exponerentur nullitati, & ad illa exegisse id quod sæpè non est in potestate hominis. 3. Intentio virtualis sufficit ad faciendum validè actum moralem & humanum, ut patet in contractibus, aliisque similibus.

Q. 3. An ad valorem Sacramenti requiritur intentio directà, absoluta, & determinata?

Nota. Intentio directà est ea, quâ aliquid immediatè & secundum se volumus. Talis est intentio illius, qui vult præcisè baptizare. Indirectà est, quâ volumus aliquid non in se, & secundum se immediatè, sed in ejus causa, vel in alio cum eo connexo, vel ex quo sequi prævidetur. Talis est intentio illius, qui prævidens se in ebrietate baptizaturum, vult se inebriare. Absoluta est ea, quâ aliquid absolute & independentè ab ulla conditione volumus. Conditionata est, quâ aliquid volumus tantum, sub aliqua conditione, & dependentè ab illa.

Resp. I. Requiritur intentio directà. Quia actio Sacramentalis debet esse actio moralis ac libera in se, & debet humano modo poni: non ponitur autem humano modò, nisi ponatur vi
inten-

intentionis liberæ & directæ. Hinc non valet Baptismus collatus ab ebrio, vel dormiente, quamvis antea præviderit conferendum in tali statu.

Resp. II. Intentio faciendi Sacramentum sub conditione non sufficit, nisi conditio posita sit priusquam forma applicetur materiæ, ita ut iam transierit in absolutam vel illi æquivalet: quia sola intentio absoluta est efficax pro præsentibus; voluntas enim conditionata, quamdiu talis est, suspensa manet, & nihil efficit. Unde si dum materiæ forma applicatur, intentio Ministri non sit absoluta, aut æquivalet absolutæ positâ jam conditione, non efficit Sacramentum. Neque etiam postea efficit; quia postea non erit amplius forma Sacramenti, neque materia: non potest autem fieri Sacramentum, nisi utraque adsit. Hinc conditio de præsentibus vel præteritis appositâ intentioni, irritat Sacramentum, si non sit impleta, quia destruit intentionem; nam voluntas sub conditione, non positâ conditione nulla est, cum non sit nisi dependenter ab illa. Non irritat si conditio iam sit posita; nam tunc voluntas fit absoluta, sive æquivalet absolutæ, cum verè extet, nec suspensa maneat. Conditio verò de futuro, semper irritat Sacramentum; quia suspendit præsentem intentionem, facitque ut minister non habeat absolutè hinc & nunc voluntatem faciendi Sacramentum; unde hinc & nunc non facit. Sed nec postea faciet,

faciet, cum implebitur conditio; quia tunc deerunt materia & forma. Neque enim minister potest usque ad futurum eventum suspendere significationem materiæ & formæ, nec proinde efficaciam Sacramenti; cum utraque à sola Christi institutione pendeat. Excipe Matrimonium quod valet sub conditione de futuro, cum ipsa ponetur, sicut alii contractus; quia est verus contractus ad naturam Sacramenti à Christo evectus.

Not. Non licet, nisi in necessitate conferre Sacramentum sub quavis conditione etiam de præsentis & præterito, etsi posita: quia hoc est contra usum Ecclesiæ, & contra reverentiam Sacramento debitam, nam est quædam nugatio. At licet in dubio prudenti de valore Baptismi, ex c. 2 de Bapt.

Resp. III. Intentio Ministri debet esse determinata ad certam materiam & personam; nam ejus intentio debet esse efficax & effectrix Sacramenti. At operationes sunt circa singularem, quæ sunt determinata.

Valet tamen Sacramentum, excepto Matrimonio, si error sit solum speculativus circa personam, v. g. si absolvas Petrum putans esse Paulum; quia ordinariè est & semper esse debet intentio conferendi Sacramentum personæ præsentis: quam proinde intentionem servare quisque censetur, nisi eam expressè excludat. Et sic tunc practicè minister intentionem applicat determinatè ei qui præsens adest.

Ex.

Excepi Matrimonium, quia ejus valori obstat error circa personam; eo quod obstat valori contractus in quo Sacramentum fundatur.

Q. 4. An valet Sacramentum, quando Minister habet duas intentiones contrarias quarum una repugnat ejus valori?

Resp. Validum est, si debita intentio prævaleat intentioni, quæ repugnat valori Sacramenti: quia tunc sola intentio prævalens est efficax, & altera est inefficax ac mera dispendentia. Sæcùs, si intentio contraria prævaleat, ob eandem rationem. Quod si utraque sit æqualis, minister nihil efficit: quia æqualiter vult facere & non facere Sacramentum; ideoque non vult efficaciter illud facere. Porro illa intentio prævalet alteri, quæ est magis absoluta, & aliam expelleret si rem intentam impediret.

Q. 5. An ad valorem Sacramenti requiritur fides & sanctitas in Ministro?

Resp. Neg. Fide constat i. Ex traditione, & consuetudine perpetua Ecclesiæ, præsertim Romanæ à tempore Apostolorum, quæ neminem unquam ritè ab Hæretico, adeoque fide & sanctitate destituto Baptizatum rebaptizavit. Hancque praxim ab Apostolis mansisse constat: cum neque alicujus Romani Pontificis decreto, neque generalis alicujus Concilii Canone Instituta aliquando fuerit, sed ab

initio viguerit in tota Ecclesia. 2. Ex Trid. sess. 7. can. 4. de Baptismo. 3. Quia virtus Sacramenti est & agit ex meritis solius Christi, qui per ministrum tanquam instrumentum illud conficit; & potestas conficiendi Sacramenta est gratia gratis data, quæ impossibilis est cum peccato. 4. Alioqui cum fides vel probitas sæpe in multis desit, sæpe Sacramenta exponerentur nullitati cum ingenti animarum damno, & sic Christus parum Ecclesiæ suæ providisset.

Hinc error Ministri circa sensum formæ non expressus in forma, v. g. quòd Filius non sit æqualis Patri, non impedit valorem Baptismi ab Ariano collati: quia non mutatur formæ significatio, quæ non ex privato cuiusque arbitrio, sed ex communi usu in Ecclesia recepto petitur. Præterea ex Florent. tria solum requiruntur ad valorem Sacramenti ex parte Ministri, nimirum ut adhibeat materiam & formam debitam, & habeat intentionem faciendi quòd Christus instituit, vel Ecclesia facit.

Q. 6. An Minister tenetur esse in statu gratie dum Sacramentum conficit, vel ministrat?

Not. Aliud est conficere, aliud administrare Eucharistiam. Sed in aliis Sacramentis ipsa confectio est simul ministratio.

Resp. I. Qui Sacramentum in peccato mortali conficit, vel ministrat tanquam Minister ad id consecratus, vel specialiter ab Ecclesia deputatus.

putatus, per se loquendo peccat mortaliter. Ita omnes. Quia 1. ex ad Tit. 1. dispensator Dei debet esse sine crimine. 2. Ex S. Aug. l. 2. contra Parmen. cap. 10. *Omnia Sacramenta, cum obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* 3. Ex c. ult. 15. q. 8. ubi Nicol. 1. ait Rom. *Mali bona administrando se tantummodo ledunt.* & ex c. ult. de cohab. Cleric. ubi Greg. IX. declarat. *constare quemlibet pro mortali peccato quoad seipsum esse suspensum.* 4. Ex Rituali Romano. *impurè & indignè Sacramenta Ministrantes in aeternæ mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat. Sed si habeat copiam Confessarii, & temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.* 5. Quia talis gravem irreverentiam irrogat Christo, cujus ut Ministri principalis personam gerit; & sancta indignè tractat in re gravi: ergo grave sacrilegium admittit. Item per se gravissima est indecentia ac irreverentia actionem sanctissimam, quæ est moraliter actio Christi, & collativa gratiæ sanctificantis, quâ homo consors naturæ divinæ & Filius Dei adoptivus efficitur, exercere in immunditiâ peccati & inimicitia Dei. Adde quòd Sacerdos sit publicus Ecclesiæ Minister à Christo institutus, & gratiâ Ordinationis donatus, ut Sacramenta fidelibus dignè ministret: ergo

ratione statûs & Ordinis sui, ideoque ex proprio officio tenetur dignè ministrare.

Idem dicunt Vasquez, De Lugo, & alii contra multos de Ministro non consecrato, v. g. Laico baptizante in necessitate. Tum quia textus allati, & Patres generatim omnes ministrantes comprehendunt, nec distinguunt inter ordinatum, & non ordinatum, solemniter & non solemniter ministrantem: tum quia est gravis irreverentia in Christum, quod hostis ejus & mancipium Diaboli agat in nomine & persona Christi, ejusque merita applicet: tum quia jure naturali & divino Sancta sanctè à quolibet tractanda sunt, & quidem sub gravi in re gravi. Sacramentum autem, quòd Laicus in necessitate ministrat, est res eximiè sancta & speciali modo consecrata, & ad gratiam sanctificantem efficiendam instituta, estque moraliter actio Christi ut Ministri principalis. Ergo tractari debet specialiter sanctè. At non tractat sanctè, sed indignè ac irreverenter, qui illud ministrat in peccato mortali.

Hinc Confessor, quamvis Confessiones continenter audiat, tot peccata mortalia admittit, quot homines absolvit; cum tot Sacramenta numero distincta ministret, & absolutio singulorum sit actio externa per se sufficienter consummata: multi tamen censent talem tunc unicum mortale admittere, sed èd gravius, quòd plures absolvit.

Dixi, *per se loquendo*, quia Minister per accidens

dens excusari potest à mortali, ob repentinam & inopinatam necessitatem ita urgentem, ut non relinquat spatium eliciendæ Contritionis; ut si sit periculum nequis moriatur sine Baptismo vel sine absolutione, dum Sacerdos occuparetur in eliciendo Actu Contritionis.

Resp. II. Sacerdos vel Diaconus distribuens Corpus Christi in peccato mortali, peccat mortaliter. *Ita commun.* Prob. 1. Ex textibus suprâ citatis. 2. Hæc dispensatio est sacrum & gravissimum Ministerium, ad quod sanctè administrandum Minister est specialiter consecratus, & specialem gratiam accipit. 3. Talis gravem irreverentiam admittit in Christum, Sanctissimum ejus Corpus dispensando, & merita communicando in statu, in quo scit se esse Christi hostem & diaboli mancipium. *Igitur mundamini qui fertis Vasa Domini, Isa 52. inò ipsum Dominum.*

Hinc talis tot mortalia committit, quot hominibus etiam continuatè Eucharistiam distribuit; quia tot sunt objecta totalia, & tot sunt indignæ distributiones completæ & numero distinctæ. Multi tamen docent hunc unius mortalis peccati reum esse, sed eò gravioris quo pluribus Eucharistiam distribuit. Item triplicis malitiæ mortalis in Confessione aperiendæ reus est Sacerdos, qui in mortali celebrat, & seipsum communicat, scilicet indignæ confectionis, malæ ministrationis, & indignæ susceptionis, non minus quàm si alteri indignè

ministraret, & ab altero indignè susciperet, ut notat Suarez.

Q. 7. An Diaconus & Subdiaconus peccant mortaliter, dum in peccato mortali propria Ordinis Ministeria obeunt, v. g. Canendo solemniter Evangelium vel Epistolam?

Resp. Affirmant Sylvest. Cajet. Tolet. & alii Probant 1. ex c. ult. de temp. ordin. ubi Greg. IX ait Sacerdotes & alios Clericos criminosos occultos, si non pœnituerint monendos esse, & sub interminatione divini Judicii obtestandos, ut in testimonium suæ damnationis, in susceptis etiam Ordinibus non ministrent. 2. Ex S. Thom. in 4. dist. 24. q. 1. a. 3. q. 5. ibi: Lex (naturalis) præcipit ut homo justè ea quæ sunt justa exequatur: & ideo quicumque homo quod sibi competit ex Ordine, facit indignè, quod justum est, injustè exequitur, contra præceptum legis (naturalis) facit, per hoc mortaliter peccat. Quicumque autem cum peccato mortali aliquod Sacrum Officium pertrahat, non est dubium quin illud indignè faciat. Unde patet quod mortaliter peccat. 3. Quia eorum Ministerium proximè accedit ad SS. Eucharistiam conficiendam, & ad illud specialiter deputati ac consecrati sunt. Alii tamen plures docent esse duntaxat veniale; quia censent materiam non esse adeò gravem, ut sit grave sacrilegium; cum illa Ministeria nec sanctitatem ex opere operato conferant, nec sint

sint moraliter actiones Christi, nec ejus nomine fiant. Irreverentia autem est major vel minor pro majore vel minore sanctitate actionis sacrae, quae exercetur in peccato. Ad cap. cit. Respondent Gregorium nihil in specie determinasse, quam grave peccatum sit singulos Ordines exercere in mortali; ideoque ex materia subjecta aestimandum id esse; & velle solum quod sit peccatum grave ex genere suo: vel loqui non de singulis functionibus, sed de exercitio suorum Ordinum toto & integro, quod totum sine mortali esse non poterat, quia juxta antiquos Canones, qui nunc etiam aliquando observantur, Ministri altaris communicabant in Missa solemni de manu celebrantis.

Suarez, verò docet quod si quis haberet animum hos Ordines sæpè exercendi in malo statu, aut hanc haberet consuetudinem, non esset excusandus à mortali; quia illud propositum vel consuetudo videretur oriri ex quodam contemptu formali vel virtuali; & quia illud objectum ita sumptum videtur satis grave.

*Sed quid de exercente in malo statu functiones
Minorum Ordinum, Acolyths, Lectoris,
Ostiarum, &c.*

Resp. Ex communi, non peccat mortaliter: quia illae functiones sunt remotae à proprio actu Sacrificandi, & censentur officia imperfecta

fecta respectu Sacri Ministerii, & nunc sæpissimè à Laicis exercentur. Peccat tamen venialiter, dum in solemnè ac publico ritu eas exercet, quia propriè est actus Ordinis ad quem est consecratus.

Q. 8. An peccat mortaliter Minister conficiendo in peccato mortali Sacramentalia?

Resp. Episcopus peccat mortaliter conficiendo in tali Statu Chrisma & Oleum infirmorum: quia istæ Consecrationes seu Benedictiones fiunt à Ministro ad id consecrato, & sunt gravis momenti; nam per illas fit materia Confirmationis & Extremæ-unctionis, in quibus gratia confertur partialiter intuitu materię sic consecratæ, cum Chrisma & Oleum non sint materia Sacramenti, nisi ut benedicta seu consecrata. Item in illis actionibus se Christi Ministrum exhibet, ejusque personam immediatè sustinet: ideoque gravem injuriam infert Christo, illas actiones exercendo in statu peccati; nam ejus dignitatem ac sanctitatem graviter lædit. Conficiendo verò in mortali reliqua Sacramentalia, qualia sunt Consecratio Templi, Benedictio Abbatis, Vestium Sacerdotalium, aquæ Lustralis, Cinerum, &c. Peccat saltem venialiter; quia est aliqua indecentia ac irreverentia, si absque sanctitate obeat illa omnia, quæ Ordinem sacerum specialiter requirunt. Non est tamen, juxta multos, mortale, quia hæ actiones non
confe-

conferunt immediatè, & ex opere operato
sanctitatem animæ, nec sunt moraliter actio-
nes Christi sicut Sacramenta.

Q. 9. *An tenetur Minister ritus accidentales in
Ecclesia usitatos in Sacramentis dili-
genter servare?*

Resp. Aff. Prob. 1. ex Trid. sess. 7. can. 13.
*Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesie
Catholice Ritus, in solemnibus Sacramentorum admi-
nistratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut
sine peccato à Ministris pro libito omitti, aut in no-
vos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem
mutari posse, anathema sit.* 2. Ob Ecclesie
præceptum, & consuetudinem vim legis ha-
bentem; nam Ecclesia præscribens modum
administrandi Sacramenta, illum servari jubet;
alias nihil esset firmum & stabile in cultu di-
vino. Et hæc obligatio ex genere suo gravis est,
utpote de re ad virtutem Religionis pertinen-
te; nam illis ritus sunt actiones religiosæ ad
decentem Sacramentorum administrationem,
ad devotionem excitandam, & ad sacram si-
gnificationem ab Ecclesia institutæ. Unde si
sine necessitate urgente aliquid omittitur est
mortale in re gravi, & veniale in levi. Est ta-
men semper mortale vel minimam Ceremo-
niam omittere ex contemptu, judicando illam
esse vel inanem, vel ineptam, aut aliquid simi-
le; quia gravis fit injuria Ecclesie & Spiritui
Sancto à quo regitur.

Q. 5

Q. 10.

Q. IO. *An grave sacrilegium committit, qui tentat conficere Sacramentum, cuius conficiendi potestate caret?*

Resp. Aff. Quia 1. gravem irreverentiam Christo infert, volendo gerere ejus personam, & ejus nomine aliquid valdè sacrum agere, cum non sit ab eo deputatus. 2. Facto suo falsam doctrinam profitetur. 3. Proximum in re gravi decipit.

Q. II. *An licet aliquando simulare Sacramentum?*

Resp. I. Nunquam licet sub mortali simulare administrationem Sacramenti. Prob. exc. 7. de celebrat. Miss. 2. Quia Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Urgens metus gravis, est justa causa Sacramentorum administrationem simulandi.* 3. Gravis est irreverentia in Christum, ita abuti verbis ac rebus sacris ab eo institutis ad verum Sacramentum, & reipsa est illudere Christo, cuius personam simulator se agere exterius fingit. 4. Est reale mendacium in re gravissima; exercitè enim & suo facto talis dicit se nomine & personâ Christi, v. g. absolvere, baptizare, cum sciat hoc non fieri.

Resp. II. Item semper est mortale simulare susceptionem Sacramenti. Quia defectus intentionis veræ illud suscipiendi impedit effectum cujusvis Sacramenti; etiam Eucharistiæ, imò valorem sex aliorum, quæ consistunt

stunt in actione transeunte; nam ad horum valorem & Eucharistiæ effectum requiritur in adulto suscipiente vera intentio saltem habitualis suscipiendi. At est grave sacrilegium reddere irritum vel inutile Sacramentum; est enim gravis irreverentia in Christum ejus auctorem. Hinc ad vitandum quodvis malum non licet sub mortali scienter ministrare etiam consentienti, vel recipere hostiam non consecratam pro consecrata. Quia per se malum est scienter proponere alteri puram creaturam adorandam cultu divino, & ponere per se causam idololatriæ etiam materialis. Tunc autem hostia non consecrata exponetur adorationi tum adstantium, qui committent idololatriam materiale; tum illius, qui cum externa reverentia illam hostiam suscipiet, sicque scienter admittet idololatriam externam: quod est intrinsecè malum, sicuti est adolere thus coram idolo, quamvis interiorius tantum intendas te pascere ejus odore; quia nempe tunc exhibetur illi cultus externus.

Q. 12. *An licet conferre Sacramentum indigno, seu non rite disposito ad ejus effectum?*

Resp. Qui tali scienter vel imprudenter confert, per se loquendo peccat mortaliter. Quia I. quilibet dispensator tenetur fideliter & prudenter dispensare, juxta voluntatem Domini sui. ex I. Cor. 4. *Hic jam queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Ergo pec-

peccat graviter, qui in re gravi dispensat infideliter & contra voluntatem Domini sui: at ministrans Sacramentum indigno, aliquid gravissimum dispensat infideliter, & contra voluntatem Christi id vetantis Matth. 7. *Nolite dare sanctum canibus.* 2. Sacramentum indignè, irreverenter & contra ejus exigentiam tractat, qui scienter illud ministrat indigno, nisi in casu speciali infra excipiendo, in quo Christus voluit dari. Sacramenta enim exigunt non defraudari suo effectu, ideóque non suscipi ab iis, qui non possunt consequi gratiam. 3. Talis minister cooperatur receptioni sacrilegæ suscipientis; nam nulla potest esse major cooperatio ad recipiendum, quàm ipsa datio voluntaria & sine obligatione facta. Unde & agit contra obligationem proprii officii in re gravi, & juvat alium ad peccandum: quod etiam verum est de Ministro non consecrato, ut Laico baptizante quamvis Minister consecratus majorem obligationem habeat. Nam qui dispensat, eo ipso tenetur fideliter ac prudenter dispensare. Deinde aliàs cooperatur peccato alterius.

Hinc I. tenetur Minister providere, ut suscipiens habeat dispositiones ad Sacramentum licitè & utiliter suscipiendum. Neque sufficit quòd non scias esse indignum; sed debes posse prudenter saltem præsumere quòd sit dignus; alioqui non es prudens & fidelis dispensator, & committeres te periculo ministran-

strandı indıgno, & privandi Sacramentum ejus effectu saltem primario, nempè gratia sanctificante. In illa autem diligentıä & cautione adhibenda attendi debet natura cujusque Sacramenti, praxis Ecclesiæ, & commune judicium proborum ac prudentum. Sic in Sacramento Pœnitentiæ requiritur accuratioꝝ notitia dispositionis; quia Confessor est iudex in causa Dei, qui debet examinare conscientiam Pœnitentis, & ejus dignitatem, vel indignitatem; ut possit debite ferre sententiam, & quia dispositio Pœnitentis requiritur ad valorem Sacramenti. Item Sacramenta, quæ statum constituunt pluribus obligationibus obnoxium, ut Baptismus, Ordo, Matrimonium, exigunt majorem probationem dispositionis.

Hinc 2. non licet dare Eucharistiam neque peccatori publico sive occultè, sive publice petenti, nisi sufficientia dederit veræ conversionis signa, & scandalum publicum sustulerit: nam sine nova ejus infamia potest consuli reverentiæ Sacramenti. Neque peccatori occulto, sed petenti occultè, vel solùm coram illis qui ejus indignitatem norunt; cum possit sine scandalo & ejus infamia denegari ex Rituali Rom. idque juxta varios, etiamsi ejus indignitas ex sola Confessione nota sit, modò nullus alius adsit; quia tunc nulla fit revelatio Confessionis, nec ullum ei infertur gravamen, sicut si denegares ense ei à quo scis ex

Con-

Confessione te esse perimendum. Sed multi id negant, quia tunc esset quædam virtualis exprobratio & commemoratio peccati: quod jure divino graviter est illicitum.

Dixi, *per se loquendo*, nam peccatori occulto publicè petenti Eucharistiam dari debet, & praxi Ecclesiæ, & Christi, qui Judæ eam dedit; nam Christus vult ut in tali casu detur, ne infametur proximus; & quia alioqui sequerentur gravia scandala, & incommoda ac perturbationes. Unde tunc Minister non cooperatur moraliter peccato alterius; quia dispensat ex obligatione: nec exterior receptio Sacramenti, ad quam cooperatur ministrans, est per se mala, sed solum habet adjunctam malitiam per accidens ex prava dispositione suscipientis; & posset esse bona, si recipiens vellet.

Porro crimen censetur publicum, quando quis de eo juridicè convictus est; vel cum admissum est in loco publico, ita ut nulla tergiversatione celari possit; vel cum ejus fama ex sufficientibus indicis orta jam pervenit ad multos, brevi ad alios perventura.

Q. 13. *An licet petere, vel recipere Sacramentum ab indigno Ministro?*

Not. Minister indignus alius est toleratus, qui licet peccator sit, tamen neque nominatim per sententiam declaratus est excommunicatus vel suspensus, neque est notorius Clerici

rici percussor. Alius non toleratus, qui scilicet nominatim denunciatus est excommunicatus aut suspensus, vel est notorius Clerici percussor.

Resp. I. Non licet petere aut accipere Sacramentum à Ministro non tolerato, præter Baptismum, & juxta multos Pœnitentiam, in articulo mortis. Quia 1. Ecclesia prohibet communicationem cum non tolerato, præsertim in Sacris. 2. Non licet petere ab alio id quod ipse sine peccato præstare nequit, nam hoc esset eum inducere ad peccatum. At Minister non toleratus, non potest sine peccato Sacramenta ministrare, saltem extra necessitatem proximi: cum id ei graviter Ecclesia veter. Neque etiam licet ab alio accipere id quod non potest sine peccato dare: nam aliàs cooperareris ejus peccato; quænam enim major potest esse cooperatio dationi illicitæ quàm acceptio, sine qua datio executione caret?

Excepi Baptismum in articulo mortis, quia Minister non toleratus potest tunc illum licitè ministrare in defectum aliorum, si nempe conteratur & faciat quod in se est, ut à censuris absolvatur: & sic tunc potest ab eo licitè peti & accipi, ut docet S. Aug. l. 6. de Bapt. c. 5.

Resp. II. Jure divino naturali non licet petere nec accipere Sacramentum à Ministro malo tolerato, quem moraliter constat peccaturum ministrando, si adsit alius probus.

Quia

Quia 1. ex lege charitatis in Deum & proximum; quisque tenetur impedire peccatum proximi, quantum potest saltem sine gravi suo incommodo seu damno. Ergo nisi adsit aliqua necessitas, tenetur non recipere Sacramentum ab eo, qui peccaturus est conferendo. 2. Petens vel accipiens Sacramentum à malo Ministro, in tali casu dat ei sine justa causa occasionem peccandi, & moraliter cooperatur ejus peccato, cum hoc facile impedire posset; & quamvis ille paratus esset ministrare, tamen hinc & nunc non peccaret, seu hanc malam voluntatem non exequeretur, nec hoc numero sacrilegium admitteret, te non petente vel non accipiente.

Resp. III. Licet petere & accipere Sacramentum à Ministro tolerato, si alius probus desit, & adsit justa & gravis causa, seu aliqua necessitas, ut si instet præceptum confitendi aut sumendi Eucharistiam quindena Paschalis si quis sit in statu peccati mortalis nec possit aut saltem sine gravi incommodo adiri alius Minister. Prob 1. Ex c. ult. 15. q. 8. & c. *Vestra.* de Cohab. Cler. 2. Ex Constit. Martini V. Ad evitandum, in Conc. constat. edita ibi: *Indulgemus quòd nemo deinceps à communionem alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis vel extra pretextu cujuscumque sententiæ, aut Censuræ Ecclesiasticæ, à jure vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare.*

re: 31

re. 3. Quia res honesta licitè peti & accipi potest ab eo qui potest hîc & nunc eam dignè præstare, licet prævideatur peccaturus, modò adsit justa causa non impediendi ejus peccatum, ut patet in petentè mutuuum ab usurario necessitatem. Minister autem toleratus requisitus potest conteri & obtinere absolutionem à Censura. Qui si faciat quod in se est ut eam obtineat, nec tamen obtinere possit; tunc juxta multos non peccabit si requisitus & contritus ministret Sacramentum habenti jus illud petendi, quia tunc tenetur illud ministrare vel ex justitia si sit Pastor, vel ex Charitate si petens sit in necessitate saltem gravi. Si verò male ministret, id ejus malitiæ, non petitioni imputandum est: nec charitas obligat ad impediendum cum gravi suo damno peccatum proximi, quod ipsemet potest facile vitare.

CAPUT III.

De Dispositione necessaria in recipiente Sacramentum.

Q. I. **Q**uamnam dispositio requiritur in subiecto ad valorem Sacramenti?

Not. 1. Subjectum Sacramenti est is, qui illud recipit, & est capax ejus effectus recipiendi. Agitur hîc de solis adultis; nam in infantibus & perpetuò amentibus nihil requiritur,

Tom. III.

P

ut pa.